



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio I. De Prouidentia Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](#)

## QVÆSTIO I.

## De Prouidentia Dei.

S. Thomas I. p. q. 22. aa. 4.

**A**bsolutus hoc questio quinq. dubitationibus. I. Quid generatim sit Prouidentia; an sit actus intellectus, an voluntatis, & qualis. II. An in Deo sit prouidentia; cui omnia subiiciantur. III. Qua ratione res creatæ subiiciantur diuina prouidentie; an omnia immediate; at etiam velut subiecta quædam, aut termini, seu effectus diuinae prouidentie. IV. Virum prouidentia diuina semper consequatur finem, ad quem ordinat & preparat media. V. An & quaratione diuina prouidentia conciliari posset cum libertate arbitrii creati; speciatim ex mente S. Thomæ; & quid de fato ac fortuna sentiendum.

## D V B I V M I.

*Quid generatim sit Prouidentia; an sit actus intellectus,  
an voluntatis; & qualis.*

S. Thom. I. p. q. 22. a. 1.

Prouidentiam & prædestinationem diuinam esse inter se aliquo modo connexa, nemini dubium est; cum prædestination pars quædam sit diuinæ prouidentia, vt quest. seq. constabit. Quæ causa etiam est, cur prouidentia Dei priorem libi tractationis locum vendicet; cum ordine doctrinæ prior sit consueta quædam cognitio Totius, quam distincta cognitio partium, iuxta Aristotelem I. Phys. tex. 4. Prusquam autem de prouidentia Dei speciatim agatur, necesse est prius hoc dubio communem prouidentiæ conceptum explicare, quod sequentibus notacionibus prestamus.

Notandum igitur primo, Prouidentiam & Prouidere, ex vi nominis, duplēcē habere significatum. Quandoque enim idem est, quod futurum aliquid, prusquam fiat, p̄uidere; vt idem sit prouidentia, quod p̄udentia, seu p̄ficiencia. Qua ratione tamēcē etiam p̄cognitionem quamcunq; speculatiuum rerum complectatur, p̄cipue tamen futurorum eventuum p̄scientiam significat, à quibus p̄sens aliqua rerum faciendarum dispositio pendet. Quo modo Cicero lib. 2. de diuinat. ait: Medicus morib; ingravescens ratione p̄uidere, infidias Imperator, tempestes gubernat: Et tamen ipsi sape falluntur, quinib; sine certa ratione opinantur. Nec alio sensu, Prouidentia partem quandam p̄udentiæ significat, recte prospiciente furura.

Deinde Prouidere idem significat, quod alicui prospicere, vel curam aliquius per sonz, vel etiam rei habere; vt sit idem quasi quod pro aliquo videre. Qua ratione Cicero dixit, p̄uidere rei frumentariæ: item, p̄uidere omnibus, quæ necessaria videbantur: & Cæsar lib. 5. de bello Gall. dixit, P̄uidere rem frumentariam, pro eo, quod est, procurare. In p̄senti vero accipitur ea vox, pro singulari quadam mentis cura, quam Deus mediante intellectu & voluntate sua, de rebus creatis ad suum finem dirigendis habet: quo modo etiam a S. Thomahic a. 1. & 2. definitur, Ratio ordinis rerum in finem: seu quod idem est, ordinatio actuum rerum in finem, vt loquitur S. Thom. q. 116. a. 2.

Notandum secundū, quia ad hanc nominis significationem pertinet consuetus ille apud Theologos loquendi modus, quo Deus rebus creatis de aliquo, aut aliiquid p̄uidere dicunt, quas hoc ipso etiam in suos fines dirigit; p̄udentiam in genere duo includere, subiectum nimirū, cui p̄uidetur, quod aliquando absolute etiam obiectum dicitur; & terminum, seu quasi effectum, qui p̄uidetur; seu de quo alicui p̄uidetur; seu quod idem est, qui per p̄udentiam alicui procuratur. Materia vero p̄udentiæ latius patet, quæ comprehendit omne id, circa quod p̄udentia aliquo modo versatur, licet ei nec ut subiecto p̄uidetur, neq; id etiam vterminus vel effectus absolute p̄uidetur, prout de peccatis dicetur dub. seq.

Notandum tertio, cum inter omnes constet, P̄uidere ac p̄udentiam, hoc sensu, intellectus simul ac voluntatis actum inuoluere aut connotare, quādoquidem necesse est, vt ratio ordinis rerum in finem ab intellectu concipiatur; & à voluntate approbetur; controversum tamen esse, an p̄udentia formaliter & directè sit actus intellectus, an voluntatis. Formaliter enim & intrinsecè actum voluntatis esse, docent Bonauentura, Scotus, Ariminiensis in 1. dist. 40. & alij nonnulli apud Vasquez 1 p. disp. 87. cap. 3. qui eandem sententiam etiam p̄ se magis probat. Idem habet Damascenus lib. 2. de fid. cap. 29. vbi p̄udentiam duobus modis definit; nimirū: Est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Et rursus: Prouidentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte congrue gubernantur.

E contrario autem formaliter & directè actum intellectus esse, docent S. Thomas, Caietanus, alii que Thomistæ hic q. 22. a. 1. Molina ibidem disp. 1. Gregorius de Valentia q. 22. pun. 1. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 9. item Durandus in 1. d. 41. quest. 1. num. 9. Capreolus dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. Richardus in 1. dist. 39. art. 2. q. 1. Aureolus in 1. dist. 40. q. vn. art. 2. & dist. 41. q. 1. art. 3. licet ibidem prædestinationem in voluntate constitutacitem Marcelli in 1. q. 41. art. 1. & significat Alensis 1. p. q. 28.

mem. 1. art. 2. Sed et si omnis hæc quæstio nominis est, ut recte notarunt Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 17. num. 12. & Vasquez loc. cit. Magis tamen probatur modus loquendi S. Thomæ, quem tradidit etiam Boetius lib. 4. de consolat. profla 6. vbi dicit, prouidentiam esse ipsam rationem divinam, in summo omnium principi constitutam, quæ cuncta disponit. Certe ipsa notio nominis Prouidentiæ, directè quidem actum intellectus significat, nō voluntatis, vt dictum.

Vbi etiam contra Aureolum in 1. dist. 40 q. 1. a. 2. notandum, malè ab eo impugnari definitionem prouidentiæ à S. Thomas lo. cit. allatam, quasi cum is dixit, prouidentiam esse rationem ordinis rerum in finem, existentem in mente diuina, per rationem ordinis intellexerit, rationem seu conceptum ordinis obiectuum, in rebus ipsis formaliter existentem, qui prouidetur; cum tamen manifestum sit, S. Thomam aliud non intellexisse, quām internam conceptionem ordinis, seu vt loquitur Aureolus, ipsum intelligentiæ diuinum, quo ordo huiusmodi prouidetur; seu vt etiam inferius interpretatur Boetium, ipsam diuinam intellectu rationem, quæ cuncta disponit.

Notandum quarto, actum intellectus, in quo formaliter & essentialiter consistit prouidentia, non esse, ut quidam existimant, actum illum Imperii, quæ constituent distinctum ab omni cognitione; qui videlicet non sicut intellectio seu cognitio illa, sed sola quædam intimatio ipsius impetus voluntatis; talis enim actus in Deo fructu ponitur, imò nec in hominibus vel Angelis admittendus est, vt etiam supra disp. 2. quest. 10. dub. 4. diximus, & recte notarunt Suarez hic lib. 1. de prædestin. cap. 16. & Vasquez disp. 87. cap. 3. Est igitur Prouidentia actus quidam cognitionis, quo Deus res omnes ordinat in finem. Et quia actus non merè speculativus, sed practicus est, & causa rerum, pertinet non ad scientiam visionis; sed ad scientiam simplicis intelligentiæ; cui adiuncta sit approbatio, seu decretum voluntatis, quo id ipsum quod practicè cognitum est, approbetur, & constituant suo tempore exequendum; & à quo etiam scientia illa iam dicitur non solum practica (hæc enim est de rebus etiam non futuris) sed etiam approbatrix, includens videlicet, seu potius supponens, quæ talis est, actum voluntatis approbatuum & decretuum eius obiecti, quod practicè ita cognitum est, tanquam formam denominantem, à qua extrinsecè talis scientia denominatur approbatio, vt declarauimus disp. 2. q. 8. dub. 10. Supponit autem hæc scientia in Deo, quam prouidentiam esse diximus, aliam scientiam practicam & approbationis, quæ pro obiecto & termino habet ipsam per se rerum, quibus prouidetur, existentiam; quam ipsa etiam prouidentia supponit, vt declarabitur dubit. 3. Ex quibus Prouidentia breuiter & perspicue definiiri potest, Scientia practica approbationis, per quam (mediante simul etiam actu voluntatis) res omnes in suos fines per certa media diriguntur.

Notandum quintò, Prouidentiam differre à gubernatione, & partim etiam à dispositione rerum, ut omnes docent. Gubernatio enim absolutè dicta, actio transiens est, & nihil aliud, quam executio ordinis à prouidentia præconcepti, adeoq; posterior prouidentia: quæ proinde etiam non nisi ex tempore de Deo dicitur: prouidentia autem est actus im-

manens, qui Deo ab æterno conuenit, vt docet S. Thomas hic q. 22. a. 1. ad 2. ex communi omnium; & nos generatim supra disp. 2. q. 7. dub. 2. diximus. Cum quo re ipsa non pugnat, quodait Vasquez hic q. 22. art. 3. num. 35. gubernationem actiuam immanentem in Deo non distinguiri nec re, nec ratione, ab ipsa prouidentia: qui modus loquendi sumitur, etiam ex ipso S. Thoma q. 103. art. 6. quanquam si propriè loquamus, gubernatio immanens in Deo non multò rectius dici videatur, quam creatio immanens: cum propriè & absolute ac secundum consuetum loquendi modum, utraque in Deo sit actio transiens, vt expresse etiam de gubernatione docet S. Thomas q. 22. a. 3. in corp.

Dispositio verò esti uno quodam significatu, prout videlicet significat rerum dispositionem actiuam in mente diuina, in ordine ad finem, non differat à prouidentia, vt docet expresse S. Thomas hic q. 22. a. 1. ad 2. passuē tamen accepta, idem est quod gubernatio; ac proinde non minus quam hæc à prouidentia distincta. Cetera quæ ad obiectum & terminum prouidentiæ in specie cognoscenda pertinent, declarabuntur dub. seq.

## D V B I V M II.

*An in Deo sit Prouidentia, cui omnia subiiciantur.*

S. Thomas 1. p. q. 22. a. 1. 2. & 3.

**E**xpliato communi Prouidentiæ conceptu, inquirendum restat, an sit in Deo; & quæ ratione diuina Prouidentiæ subiiciantur omnia; quorum prius hoc dubio, posterius sequenti declarabimus.

**Assertio I.** Est in Deo Prouidentia; non quidem monastica, qua sibi ipsi prouideat, sed quasi politica seu monarchica. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 1. & est extra controversiam, Probatur & declaratur. Quia iuxta Aristotelem 6. Eth. c. 12. Prudentiæ proprium est, ordinaria in finem; sive respectu ipsius ordinantis, sicut dicitur homo prudens, qui bene ordinat actus suos ad finem viræ suæ; & vocatur prouidentia monastica; sive respectu aliorum eidem subiectorum; quo modo in Patresfamilias respectu familiae vocatur Oeconomicæ; in principe seu quouis Magistratu, politico præserrim, respectu civitatis, vocatur politica; in Rege respectu Regni vocatur Monarchica. Deus igitur ipse, eiusq; perfectiones, & actiones interne, prouidentiæ non subiiciuntur; ac proinde neque etiam in Deo est prouidentia Monastica: sicut enim Deus ipse, & quicquid in Deo est, nullum habet finem ad quem ordinatur, vt disp. precd. quest. 1. dictum; ita nec est capax ordinacionis passus ad finem, qualis ad prouidentiam pertinet. Nihilominus tamen quia Deus alia omnia extra se posita, tanquam supremus Dominus & Rector ordinat ad suos quilibet fines, vt dicetur assert. seq. verè ac propriè est in Deo Prouidentia Monarchica, vt recte etiam Caetanus hic art. 1. Gregorius de Valentia, & alii docent.

**Assertio II.** Est in Deo prouidentiam, non modo generali, sed etiam particulare, respectu re-

rum

rum singularum, tam ex fide constat, quam ratione naturali evidenter demonstratur. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 1. & 2. cui consentiunt omnes Doctores. Prior pars patet ex scriptura, in qua perspicue particularis Dei prouidentia assertur. Sap. 6. v. 8. *Egualiter (hoc est, sine exceptione) est illi cura de omnibus.* Et cap. 8. v. 1. *Atingit à fine usq[ue] ad finem fortiter, & diffonit omnia suauiter.* Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, prouidentia cuncta gubernat.* Job 9. v. 7. *Qui præcepti soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo.* Idem colligitur ex Matth. 6. à v. 26. Matth. 10. à v. 29. & Luca 12. v. 6. ubi diuina prouidentia etiam circa animantia, resq[ue] alias minimas perspicue commendatur. Innumera eaque evidenterissima exempla particularia diuinæ prouidentiæ, passim in scriptura sunt obvia.

3 Eadem prouidentiam contra Atheos inferius referendos, solide & copiose propugnant Chrysostomus tribus libris de Prouidentia, & in sermonibus sex de eodem arguento tom. 1. Theodoretus sermonibus decem de prouid. & lib. 6. de curandis affectionibus græcorum, Augustinus libris quinque prioribus de ciuit. Dei. & lib. 1. & 2. de ordine, Boetius lib. 5. de consolat. Gregorius Nyssenus, seu potius Nemesius lib. 8. philosoph. Salianus libris octo de Prouidentia & iudicio Dei. Et Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum sub initium: *Sunt, inquit, quaestiones quædam dignæ, quæ punitantur: cuiusmodi est quærrere probationes (animo scilicet dubitandi) An sit Prouidentia, &c. cum sit manifesta diuina prouidentia ex affectu omnium, quæ videntur effectorum; quæ arte sapientia constat.*

4 Tertio probatur assertio ratione naturali evidente; vnde speciatim constat posterior pars assertionis. Primò. Omne bonum, quod in rebus creatis cernitur, est à Deo effectore: sed ordo rerum creatarum ad finem, præcipue ultimum, qui est bonitas & gloria diuina, est bonū aliquod in rebus creatis existens: Ergo est à Deo effectore: Et quia cuiuslibet effectus diuini ratio necessariò præexistit in Deo: cum Deus sit agens intellectuale, qui nihil agit non præcognitum: necesse est, vt in ipso etiam præexistat ratio ordinis rerum in finem, quæ est prouidentia; potissimum pars prouidentiæ, cuius est ordinare alia in finem, iuxta Aristotelem 6. Eth. 12. ad quam alia due partes ordinantur, scilicet memoria præteritorum, & intelligentia præsentium, prout ex præteritis memoratis, & præsentibus intellectis coniectamus de futuris prouidendis. Atque hæc est ratio S. Thomæ hic q. 22. a. 1.

5 Secundo. Si causalitas primi agentis, ad omnia & singula bona creata se extendit, necesse est tamen singula etiam eiusmodi bona à Deo ordinari ad suū finem; quandoquidem omne agens agit propter finem, & in ipsis etiam rebus creatis nihil est, ad finem non ordinatum; vt inductione patet: sed verum est antecedens, vt patet ex dictis disp. præced. quæst. 8. 10. & 11. Ergo & consequens, nimirum omnia & singula, quæ quoconque modo habent esse, ordinata esse à Deo in finem; iuxta illud Apostoli Rom. 13. v. 2. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt:* vnde evidenter sequitur, in Deo etiam particularem esse prouidentiæ, quæ est ratio ordinis rerum in finem, ut dictum. Atque hæc est ratio S. Thomæ ibid. q. 22. art. 2. quam

ita etiam formare licet: *Quia cum omne agens agat propter finem, necesse est, vt non minus late se extendat ordinatio rerum in finem, quam causalitas ipsius primi agentis: hæc autem extendit sead omnia & singula: Ergo &c.*

Tertio. Si Deus non habet prouidentiam singularum rerum, causaret, vel quia eas signaculum non cognoscit, vel quia iis prouidere non potest; aut si potest, non vult: sed & signaculum eas cognoscere patet ex infinita eius scientia, de qua disp. 2. quæst. 8. Prouidere posse, patet ex infinita eius potentia, de qua quæst. 11. Prouidere velle, constat ex infinita eius bonitate; de qua actum ibid. quæst. 3. Optime de hac re S. Ambrosius l. 1. de offic. cap. 13. *Quis operator negligat operis sui curam? si iniuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla iniuria sit; non curare autem quod feceris, summa iniquitas.* Pluta de hac re S. Thomas lib. 3. cont. gent. cap. 64. Nec male Cicero lib. 2. de natura Deorum.

Ex quibus refutantur variis de diuina prouidentia Gentilium errores. Primus eorum, qui eam simplièr pernegrant; quales fuerunt Democritus & Epicurus; qui omnia fortuito atomorum concursu fieri astrebant, Prouidentiam *anum fatidicam* appellantes, apud Ciceronem lib. 2. de nat. Deor. Similes atque illis apud Job cap. 22. v. 14. *Nubes latibus lumineis, nec nostra considerat; circa cardines caliperambulat.* Secundus error fuit Platonis apud Nemesium lib. 8. philosoph. cap. 3. & apud S. Thomam hic q. 22. a. 3. qui sensit, solas res vniuersales & incorruptibles cadere in Dei prouidentiam, saltem immediatè; res autem alias generabiles & corruptibles cadere in prouidentiam substantiarum separatarum, seu Angelorum, speciatim vero res humanas in prouidentiam dæmonum. Cui similis, si non deterior est error Auerois lib. 12. Metaph. tex. 51. & 52. & Rabbi Moysis apud S. Thomam hic q. 22. a. 2. & tribuitur etiam à Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum, ab Ambroso lib. 1. offic. cap. 13. & à Nemesio lib. 8. philosoph. cap. 4. Aristoteli; in quo tandem id non reperitur. Verius adscribitur hic error Plinio, qui sancte impudenter lib. 2. hist. nat. cap. 7. *Irridendum vero, inquit, agere curam humanarum illud, quicquid est summum.* Tertius error est quorundam apud S. Thomam lib. 3. cont. gent. cap. 89. omnia cadere in diuinam prouidentiam, exceptis humanis actibus liberis. Contra quos plura citati.

Assertio III. Omnes ergo res creatæ subiiciuntur diuinæ prouidentiæ; etiam monstra, & defectus naturales omnes: nec in iis quidquam respectu primi agentis casu aut fortuito accedit. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 2. in corp. & ad 1. & consentiunt omnes Theologi: quicquid Iulius Sirenius lib. 2. defato cap. 25. falso & absurdè dixerit, monstrat ac defectus omnes naturales etiam ipsi Deo fortuitos, ac præter eius intentionem esse: quem merito redarguit Vasquez hic q. 22. a. 2. Probatur ex scriptura, quæ docet, eiusmodi defectus signaculum & directè quoque à Deo nonnunquam intentos esse. Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut neficitio deciperet animam illius.* Ioann. 9. v. 3. natus esse cæcus dicitur, ut manifestetur opera Dei in illo. Et in eundem sensum Ecclesi. 11. v. 14. generatum dicitur:

Bona

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Idem contra Ioannem Erigenam Scotum ex instituto docet Ecclesia Lugdunensis tom. 2. auct. Patrum pag. 1072. & seq. Ratio sumitur ex dictis. Quia Prouidentia Dei ad omnia se extendit, ad quæ se extendit actio ipsius, hæc vero extendit se ad omnia; etiam ad ipsa monstra progigna quandoquidem Deus saltem communis concursu applicat causas oppositas, quarum interuenient monstra generantur, & cum illis proposito sue voluntatis concurrit; quod hereticum est negare, inquit Vasquez loc. cit.

8 Et quamvis aliquid possit esse fortuitum aut causale respectu cause particularis, eò quod hæc ad certum tantum aliquem & particularer effectum feratur, qui præter eius intentionem ab alia causa particulari potest impediri; tamen respectu Dei nihil potest esse fortuitum; nec eius vita & ordinem, vila causa particularis potest impedire vel subterfugere; quandoquidem causæ omnes particulares sub sunt causæ universalis, nec sine hac agere quicquam possunt: nec vero etiam Dei efficientia ad ultimum certum ac determinatum effectum restricta aut limitata est; sed quicquid omnino habet rationem Entis, quamvis in specie sua mutandum sit & imperfectum, diuinæ potentia tanquam causæ universalis subiaceat; ut recte declarat S. Thomas cit. a. 2. ad 1. Vbi hoc exemplo alicuius heri commode declarat, qui plures ab fe famulos ignaros consilij ita dimisit, ut in via sibi occurrerent: qui occurfus est si sit fortuitus respectu seruorum, est tamen prouisus à Domino.

Sunt ergo etiam monstra secundum Dei intentionem, saltem secundariam; adeoque cadunt sub Dei prouidentiam, seu tanquam termini prouisi, seu etiam tanquam subiecta quibus prouidetur. Et quamvis annoret Molina hic q. 22. a. 2. non ideo necessarium videri, dicere, omnes eiusmodi fortuitos effectus esse à diuina prouidentia intentos; satis esse, omnes in particulari esse prauis, & ob debitum finem permisso; negari tamen non potest, aliquos etiam particularitatem à Deo nonnunquam esse intentos ac procuratos, ut ex citatis scripturæ locis satis colligitur; & patet innumeris alijs exemplis, quando iusta Dei vindicta, multa sèpè millia hominum repentina ac violenta morte, aut lepra, aliou morbo, à Deo fuere castigata, ut speciatim in diluvio, in Sodomitis, in Ægyptiis, in Assyriis, & in iphis etiam Israelitis, ob peccatum Davidis male multatis videatur.

10 Assertio IV. Sed & mala culpæ subduntur aliquo modo diuinæ prouidentiæ, non tanquam effectus; sed vel tanquam terminus impediendus vel destruendus per diuinam prouidentiam; vel tanquam materia, circa quam, & cuius occasione aliquid faciendum ordinat Deus; veluti poenitentiam agendum; aut iustam poenam subeundam; vel satisfactionem suscipiendam: ita ut circa illa quidem, & de illis prouidere re quippiam Deus recte dicatur; sed non illa absolu te prouidere, licet utique permissionem eorum Deus prouideat. Ita S. Thomas supra q. 14. a. 16. & q. 5. de veritate. a. 4. Alensis 1. p. q. 3. 6. mem. 4. art. 1. Durandus in 1. d. 39. q. 3. num. 10. Aureolus in 1. d. 40. q. 1. a. 2. Ferrariensis l. 3. cont. gent. cap. 71. Gregorius de Valentia hic q. 22. pun. 2. Molina, Vasquez, alijq; Thomistæ ead. q. 22. a. 2. Suarez lib. 3. de attrib. c. 10. n. 8.

11 vbiait, Deum habere perfectissimam prouidentiam de aeternis liberis, etiam malis; & prouisquam fiant. & postquam facta sunt, tum prohibendo illas, & impediendo vel permitiendo, & de illis, si fiant, iuste vel misericorditer, proportione sua sapientia, diffonendo.

Ratio est manifesta. Quia tametsi Deus peccata non velit, nec faciat, certo tamen consilio ac fine ea permittit, punit, condonat, delet; ac bona plurima ex iis elicet. Quo sensu et Augustinus. scriptus in Enchiridio cap. 11. Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benefacret et de male. Et quamvis haec quoque prouidentia ad scientiam approbationis pertineat, et tamen non est scientia approbationis ipsius peccati, sed vel permissionis peccati, vel destructionis & remissionis eiusdem, vel punitionis &c. Quare etiam absolute dicendum non est, peccata cadere sub prouidentiam approbationis, ut nominavit S. Thomas q. 5. de veritate. a. 4. nec est peccata à Deo prouisa esse dici debent, sed prauisa & præscita: quia simpliciter prouisum esse, denotat aliquem effectum diuinæ voluntatis & prouidentiæ, ut recte Vasquez hic q. 22. a. 2. n. 27.

12 Sed contra hoc ipsum obicitur hoc argumentum. Si Deus habet prouidentiam rerum; ergo ad eum spectat mala omnia, ac præsertim peccata impediare: est enim boni prouisoris, quoad res vel personas suæ cura subiectas, impidiere mala quantum potest.

Ad hoc argumentum optimè responderet S. Thomas hic q. 22. a. 2. ad 2. aliam esse rationem eius, qui habet curam alicuius particularis regi aliam prouisoris universalis. Quia prouisor, inquit, particularis excludit defectum ab eo, quod ei a cura subditur, quantum potest; sed prouisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur boni totius. Unde corruptio & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularē; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel ei totius universalis. Nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. Cui igitur Deus sit universalis prouisor totius entis, ad ipsius prouidentiam pertinet, ut permitat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur boni universalis perfectum. Si enim omnia mala impediuntur, multa bona defessa enti non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyrannorum. Ita S. Thomas, qui addit etiam S. Augustinum superius relatum in eandem sententiam.

13 Obicitur secundo. Atqui vero hoc saltem alienum videretur à diuina prouidentia, quod in hac vita felices sèpè sint mali, infelices boni. Cuius tentationis sensu commemorat et David psal. 2. v. 2. & ps. 72. v. 16. Job cap. 2. v. 7. Ieremias c. 12. v. 1. Abacuc cap. 1. v. 13.

Respondeatur, alienum hoc minimè esse à diuina prouidentia. Primū enim hinc solum colligitur, non esse hic proprium locum, nec tempus remuneracionis, sed certaminis, & agonis: in quo pugiles non sine labore & molestia colluduntur, ut finito certamine proportione industria, in altera primum vita præmium laboris accipiunt; ubi est contrario mali, tanquam otiosi ac delicati spectatores, vel et præuaricatores, puniuntur & vacui contabescunt. Quo modo ad hanc difficultatem respondet David ps. 72. vbi cum v. 16. eam quasi sibi meti ipsi obiciens dixisset: Exquisibam ut cognoscerem hoc; labor est ante me, addit: Donec intrem in sanctua-

sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Ver-  
runtamen propter dolos poluisti eos, deieci eos, dum alle-  
uarentur. Et Iob cit. cap. 21. v. 13. ad eandem diffi-  
culturam respondens ait: *Ducunt in bonis dies suos, &*  
*in puncto ad inferna descendunt. Et rursus v. 30. Quia*  
*in diem perditionis seruantur malus, & ad die furoris du-  
cetur. Eodem modo cum Ierem. 12. v. 1. dicitum es-  
set, Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus,  
qui operantur iniquitatem &c. mox ibidem v. 3. sub-  
iungitur: Congregae eos sicut gregem ad vietiam, &c.*

14 Secundo magnum simul hac re praefatur bene-  
ficiū bonis. Primo enim temporalibus eiusmodi fla-  
gellis expiantur illorum peccata, ne gravius in altera  
vita puniantur. Ut in Daudie accidit ob adulterium à Deo castigato. Secundo, prauis habitus vitio-  
rum purgantur. Psal. 138. v. 23. Proba me Deus, &  
scito cor meum, interrogame & cognoscemitas meus. Et  
vide: viam iniquitatis in me est, & deduc me in via eterna.  
Tertio, virtus illorum probatur, exercetur, ac  
perficitur. Iud. 3. v. 1. Ha sunt gentes, quas Dominus de-  
reliquerit, ut eridiret in eis Israel &c. ut haberent con-  
ficiendum patientiē. Et psal. 25. v. 2. Proba me Domine  
& tenta me, iherenes meos, & cor meum. Equus gene-  
rosus quotidie exercetur ad pugnam: & si in stabulo  
diu otiosus delitescat, perit. Quarto, ab amore hu-  
ius vitae frenantur, ne forte ita delectentur via, ut  
obliviscantur patria. Vnde S. Gregorius lib. 23. Mor-  
al. cap. 24. *Via quippe est*, inquit, *viam praesens, qua ad*  
*patriam tendimus, & idcirco hinc occulto iudicio si sequenti*  
*perturbatene conserimus, ne viam propria diligamus,*  
*&c. Electis ergo suis ad se pergenibus Dominus huius mihi*  
*iter aferum facit, ne dum quisq; vite praesentis requie-*  
*quasi via amanitatem paf sit, magne vnum diu pergere, quā*  
*citus peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obli-*  
*uiscatur quod desiderabat in patria. Quinto ad Deum*  
*ardentius querendum compelluntur. Psal. 15. v. 4.*  
*Multiplicata sunt infirmitates eorum, posse accelerauerunt.*  
*Sexto praeium eorum in altera vita conferendum*  
*his flagellis augetur. 2. Cor. 4. v. 17. Momentaneum &*  
*leuere tribulationis nostrae supra modum in sublimitate eterni*  
*gloria pondus operatur in nobis. Septimo solatijs*  
*spiritualibus etiam in hac vita digniores redduntur.*  
Apoc. 2. v. 17. *Vincens dabo magna absconditum.*

15 Et propter haec Christus ad Apostolos ait Matt. 5.  
v. 11. *Beati eis* (nimurum etiam in hac vita) *cum ma-*  
*ledixerint vobis homines &c. Gaudete & exultate, quo-*  
*niam merces vestra copiosa est in celis. Et Apostolus La-*  
*cobus cap. 1. v. 1. Omne gaudium existimat fratres mei,*  
*cum in tentatione variis incidere: scientes quod proba-*  
*tio fidei vestre patientiam operatur. Patientia autem opus*  
*perfectum habet. Et Rom. 5. v. 3. Non solum autem, sed*  
*& gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio*  
*patientiam operatur; patientia autem probacionem; pro-*  
*batio vero spem; spes autem non confundit. Plura de his re-*  
bus differunt S. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 13. &  
14. S. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 15. S. Damase-  
nus lib. 2. fid. orth. cap. 29. & S. Augustinus lib. 1. de  
ciniit. cap. 8. vbi interalia: *Placuit, inquit, diuine pro-*  
*videntia preparare in posterum (non in hac vita) bona*  
*infis, quibus non fruenter iniusti; & mala impiis, qui*  
*bona non ex cruciabantur boni. Ita vero temporalia bona ex*  
*mala (huius vita) virtusq; volunt esse communia; ut nec bo-*  
*na cupidius appetantur, quam mali quog; habere cernun-*  
*tur; nec mala turpiter evidentur, quibus & boni plerumq;*

afficiuntur. Et infra addit, temporalibus huiusvitę  
flagellis bonos probari, purificari, cliquari; malos damna-  
ri, vastari, & exterminari &c. Pluribus de hac re dis-  
serui in Amuleto Castrensi cap. 7. & 8. Aliæ obie-  
ctiones contra diuinam prouidentiam partim solute  
sunt supra quest. 8. de scientia Dei; partim hic  
dub. vlt. dissoluuntur.

### D V B I V M III.

*Quaratione res creatæ subiiciantur diuina Prudentia; an omnia immediate; an etiam veluti*  
*subiecta quadam, aut termini, seu*  
*effectus diuina Prudentia.*

S. Thomas I. p. q. 22. a. 2. & 3.

**M**odus ac ratio diuinæ Prudentiae duplicitate potest spectari; primo ex parte ipsius Dei; quo spectat ea questio, an diuina Prudentia immediate subiiciantur omnia; seu quod id est, an Deus per seipsum immediate prouideat omnibus: secundò ex parte ipsiarum rerum, sive obiectorum, quæ diuinæ prouidentiae subiiciuntur, quæ partim sunt effectus seu termini diuinæ prouidentiae, de quib; alicui prouideatur, partim subiecta seu obiecta quibus prouideatur. In quibus quidem cum quatuor considerari & distinguād inservit possint, nimurum primò earum existentia; secundò earum dispositio & coordinatione seu collocatio cum rebus aliis creatis, qua V. G fit, vt signis sit superius, terra inferius &c. tertio earundē finis, seu effectio finis, ad quē conditae sunt; quartò media quibus ad eundem finem tendunt; dubium est, an non solum media; sed etiam tria alia, quæ commemorauimus, nimurum existentia, dispositio, & finis, seu effectio finis cuiusq; rei sint effectus diuinæ prouidentiae, qua Deus eidem rei prouideret.

Et quod ad primum attinet, non defuerunt ex Ethnici philosophi quidam, qui docuerunt, Deum non prouidere rebus omnibus immediate; sed quibusdam solum mediata. Quæ fuit opinio Platonis, vt ex Gregorio Nysseno lib. 8. de prouid. cap. 3. refert S. Thomas hic q. 22. art. 3. Is enim triplicem prouidentiam constituit. *Quarum prima est*, inquit S. Thomas, *summum Dei, qui primo & principaliter prouidet rebus spiritualibus, & consequenter toti mundo,* quantum ad genera, species, & causas universales. *Secunda vero prouidentia est*, quæ prouidetur singularibus generabilium & corruptibilium: & hanc attribuit Diu, qui circumueunt celos, id est, substantias separatas, quæ mouent corpora celestia circulariter. *Tertia vero prouidentia est* rerum humanarum, quam attribuebat demonibus, quos Platonicī ponebant medios inter nos & Deos, vt narrat Augustinus lib. 9. deciuit. Dei cap. 1. & 2. Ita S. Thomas. Sed & ex Theologis multi docent existentiam, itemque dispositioarem, ac finem rerum, non comparari ad prouidentiam de isdem rebus tanquam effectus: quæ, an, & qua ratione sint accipienda sequentibus assertionibus declaramus.

Aster.

3 Afferio I. Deus immediatè quidem per seipsum prouidet rebus omnibus; gubernat autem per media. Ita S. Thomas hic q. 22. art. 3. & infra q. 103. a. 6. licet utroque loco verbis paulo diversis & cum quadam distinctione rem eandem explicet. Prior enim loco ita loquitur: *Ad prouidentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum prouisarum in finem, & executio huius ordinis, que gubernatio dicitur. Quantum ad primum Deus immediatè omnibus prouidet; quantum ad secundum, sunt aliqua media diuinæ prouidentie. Ex quibus postremis verbis Caetanus & Vasquez ibidem hanc conclusionem S. Thomæ tribuit: Quoad executionem prouidentia, non omnibus prouide immediatè, sed pluribus rebus prouidet medius secundis causis. In posteriori autem loco ita loquitur: Quantum ad rationem gubernationis pertinet, Deus immediatè omnia gubernat; quantum autem pertinet ad executionem gubernationis, Deus gubernat quadam mediis causis aliis.*

4 Sed reuera propriè loquendo haec distinctiones non sunt necessariae: quia prouidentia absolute spectata non dicit executionem prouidentie; sed ipsam rationem ordinis rerum in finem, vt sepius hic art. 1. & 2. docuit S. Thomas nec gubernatio propriè est ratio ordinis, seu conceptio interna Dei de rerum gubernatione; sed est executio huius ordinis, vt hic expressè etiam loquitur S. Thomas art. 3. verbis cito tatis; vt proinde rectè & ex mente ipsius, ac communi Theologorum, constituerimus supra dictam assertionem. Quam tradunt & explicant etiam S. Thomas lib. 3. cont. gent. cap. 76. 77. 83. & 94. & opusc. 3. cap. 154. & opusc. 15. cap. 14. Alensis 1. part. q. 26. memb. 5. art. 2. & alii communiter.

Ratio primæ partis est. Quia Deus in suo intellexu habet rationem, tum rerum omnium etiam minimarum; tum etiam ordinis cuiusque rei ad suum finem per certa media; in quo consistit prouidentia; quod satis patet ex dub. præced. Ratio secundæ partis est, quia Deus non quidem propter defectum sua virtutis, sed propter abundantiam sue bonitatis; inquit S. Thomas hic, vt dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet, inferiora gubernat per superiora, vt experientia constat.

5 Obiicit hic Caetanus art. 3. Deum immediatione virtutis, immediatè non minus gubernare omnia, quam prouidere omnibus, cum utrumque propria virtute agat; immediatione autem suppositi, sicut nos immediatè gubernat omnia, ita etiam immediatè non prouidere omnibus; quia Deus prouidet humanis actibus media ratione & voluntate, creata, atque eadem media eos gubernat.

Ad hoc obscurè respondet Caetanus. Breuiter, respondeo cum Vasquez hic & Gregorio de Valencia p. 3. S. Thomam loqui de mediatione & immediatione suppositi; hoc sensu, quia Deus in sua mente concipiens ordinem rerum in finem, seu quod idem est, ordinans res omnes in suis fines, non virtutem alterius consilio; quis enim consilium eius fuit? Rom. 11. v. 34. sed per seipsum omnia ordinat ac disponit; quamvis simul interim rationem etiam habeat mediorum; quæ ex parte effectus conuenire debent, ut res fiat. At vero in gubernatione, seu executione, adhibet aliquid causas alias secundas, per quas ordinem prouidentia à se ipso præconcepit, exequitur: qua ratione etiam Deus operari

dicitur mediatae mediatione suppositi. Cum quo interim non pugnat, quò minus Deus simul etiam immediatè ac per seipsum, seu quod idem est, immediatè suo influxu influat in effectus omnes; ac proinde hac ratione immediatè operetur omnia, etiam immediatione suppositi, vt cum Caetano hic loquitur etiam Gregorius de Valencia cit. pun. 3.

De qua tamen rem male loquitur Aureolus in 1. d. 40. q. 1. a. 2. proposit. 3. vbi ait: *Accipiendo prouidentiam pro executione, subterfugiunt prouidentiam omnia illa, quibus immediatè non prouidet exequendo: & secundum hanc, omnia generabilia & corruptibilia, excepto homine, subterfugiunt diuinam prouidentiam, quia nec aliquid operatur circa illa immediatè, nisi forte manentiam: quamvis aliqui dicant, quod Deus coagit actionibus omnium. Vbi Durandi errorem insinuat, Deum immediatè non concurrere ad omnes actus causæ secundæ, de quo supra disp. præced. q. 11. dub. 1.*

Ex quibus etiam obiter resoluti potest hæc ipsa quæstio, de qua Philosophi prolixè disputant. An Deus semper agat immediatè immediatione virtutis, & suppositi; quia sane quæstio de nomine est. Nam si immediatè immediatione virtutis agere idem sit, quod agere virtute sibi intrinseca seu innata solum, & nullo modo per virtutem ab ipso agente profectam, tum quadam agit Deus immediatè immediatione virtutis, V. G. creando animas; quædam non, vt patet. Si autem idem sit, quod propria virtute, & non ab alio accepta seu pendente agere, vt vult Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 70. aut virtute sibi innata, non sola virtute ab ipso agente defluente agere, tum Deus procul dubio agit omnia immediatè immediatione virtutis, vt iuxta S. Thomam loc. cit. loquuntur etiam Ferrariensis loc. cit. Petrus Bergomas in Concordantia locorum S. Thomæ, dub. 504. & Vasquez hic q. 22. a. 3. num. 34.

Eodem modo si immediatè immediatione suppositi agere nihil aliud est, quam ipso supposito presentem esse effectibus omnibus, in eosq; per seipsum immediatè influere, vt loquuntur Caetanus & Gregorius de Valencia locis cit. tum certè omnia agit Deus immediatè etiam immediatione suppositi. Si autem, quod alii volunt, prætereare requiritur, vt nullum aliud suppositum in agendo interueniat, vt ma uult loqui Vasquez loc. cit. num. 34. tum procul dubio Deus non omnia agit immediatè immediatione suppositi. Et quia hic modus loquendividetur contentaneus S. Thomæ hic q. 22. a. 3. in assertioneantea proposita, idcirco absoluè loquendo, recessus videtur dici, Deum omnia agere immediatè immediatione virtutis; non autem omnia immediatione suppositi. Ad quem modum etiam intelligi debet illud, quod S. Thomas in 1. dist. 12. art. 3. ad 4. & d. 37. q. 1. a. 1. ad 4. absoluè pronuntiat, Deum magis immediatè agere, quam quocunque aliud agens: cum tamen simul quæst. 3. de Potent. art. 7. assertat, quodlibet agens naturale esse immediatum sive effectum.

6 Assertio II. Subiecta seu obiecta diuinæ Prouidentie, quibus nimis mirum Deus prouider, generatim, sunt omnes res à Deo creatæ; magis verò propriæ, substantiæ creatæ; propriissimè, substantiæ intelligentes; excellentissimè homines iusti & electi. Su-

mitur

mitur ex S. Thoma hic q. 22. a. 2. in Corp. & resp. ad 4. & 5. Probatur & declaratur quoad singulas partes. Prima quidem probatur. Quia prouidere alicui generatim nihil aliud est, quam illud, iuxta conditionem & capacitem suæ naturæ, diriger in suum finem: at verò omnis res creata, hoc ipso, quod certum sibi finem à Deo vel natura præfixum habet, est capax directionis seu ordinatiois passiuæ in finem; in quem etiam re ipsa à Deo dirigitur: Ergo generatim loquendo rebus omnibus à Deo prouidetur. Alia ratio est ipsius Dei, ut dictum dub. præced.

Secunda pars probatur: Quia accidentia vti per se non habent esse; ita per se etiam non habent finem à substantia, ad quas ordinantur diuersum; qui per prouidentiam illis procuretur; sed ipsa potius velut media procurantur, vel conferuntur substantiis in ordine ad suum finem, quod bene etiam notauit Aureolus in 1. d. 40. q. 1. a. 2.

<sup>9</sup> Tertia pars sumitur ex illo 1. Cor. 9. v. 9. *Nunquid de bonis cura est Deo?* Ratio est. Quia prouidere alicui stricte, est in proprium alicuius commodum, propria voluntate vtendum aut fruendum, aliquid alicui procurare; seu quod idem est, dirigere in finem propria voluntate acquirendum; quod solum conuenit habitibus dominium sui actus, & capacibus culpa ac peccata, seu virtutis & præmij, vt recte notauit S. Thomas cit. art. 2, ad 5. & ferè eodem modo declarat Aureolus in 1. disp. 40. q. 1. art. 2. proposit. 2.

Quarta pars sumitur ex illo Rom. 8. v. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ratio est. Quia hominum iustorum quodam excellentiori modo Deus habet prouidentiam, quam impiorum, in quantum non permittit contra eos euenerire aliquid, quod finaliter impediat salutem eorum, vt loquitur S. Thomas loc. cit. ad 4. Id quod de electis intelligendū est.

Et confirmatur assertio quod priorem partem, ex illo Matth. 6. v. 26. *Reficit volatilia cali, quoniam non ferunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & Panter vester pascit illa.* &c. Considerate lilia agri &c. Vbi prouidentia diuina quam habet de rebus etiam expertibus rationis, aperte commendatur. De qua re pluribus S. Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 1. 5.

<sup>10</sup> Assertio III. Termini adeoque effectus quidam diuinæ prouidentiæ; qui nimur alteri prouidentur, seu de quibus alteri in ordine ad suum finē prouiderur, sunt in primis media, per quæ aliquid dirigitur in suum finem. Ita communis Doctorum, quos paulò post citabo. Ratio est. Quia eaten⁹ alicui prouideretur, quatenus ei procurantur media in ordine, ad suum finem consequendum. Media ergo propriissimè prouidentur; quod est, esse terminum prouidentiæ; subiecto autem prouidetur de mediis.

Assertio IV. Non tamen ideo necesse est, vt quicquid est terminus prouidentiæ circa subiectum aliquod, sit etiam quoad substantiam, adeoque existentiam ipsam effectus eiusdem prouidentiæ, licet id re ipsa sepius accidat. Colligitur ex S. Thoma q. 22. a. 4. & est ex mente Doctorum, quos citabimus. Probatur & declaratur prima pars. Quia fieri potest, vt res ipsa ex se, aut alio fine principaliori, suam existentiam habeat, & nihilominus tamen velut medium, per diuinam prouidentiam aliquo modo conferat

ad finem alterius. Sicut cæli & elementa quoad substantiam ab initio propter bonum & perfectionem vniuersi, non tam velut effectus prouidentiæ, quam creationis, à Deo condita fuere, iuxta S. Thomam q. 22. a. 4. quæ tamen postea ad usum mortalium hominum, vti media ad eius finem aliquo modo conduceantia, relata sunt. Christus itidem tanquam medium aliquid ad hominis redemptionem diuina prouidentia fuit destinatus, & tamen intentionis ordine, quoad substantiam, longè altiori ratione, & ante hominem à Deo fuit prædestinatus, vt suo loco dicetur. Satis est ergo ad hoc, vt aliquid sit & dicatur terminus prouidentiæ, si per modum mediæ ex diuina dispositione conducatur ad finem eius rei, cui à Deo prouidetur, etiamsi quoad substantiam suam iam aliiunde, & exilio fine existat.

<sup>11</sup> Quanquam semper simul accidit, vt eiusmodi res, si non quoad substantiam suam, certe tamen quoad accidentia aliquod, sive applicationem & servitium qualemque, sit etiam effectus eius prouidentiæ. Quo modo soliditas & motus cælis astrisq; inditus fuit, vt mortali hominum vita deserirent, vt alibi dictum; Verbo Incarnato caro passibilis addita, propter hominem redimendum &c. Quia ratione etiam cum B. Franciscus cum socio forte in viridi colliculo ad fontem, è mucidis aliquot panis frustulis prandium sumpturus consedisset, legitur Dei prouidentiam mirè collaudasse, qui sibi colliculum illum, & fontem tam benignè ad prandii illius opportunitatem præparasset; licet collis ille & fons iam aliunde vtiue suam à Deo existentiam habebat.

<sup>12</sup> Secunda pars pater in rebus & exemplis quam plurimis. Sic enim herbæ & arbores pro vietu animalium ab initio fuere condita; quo proinde fine cessante in fine mundi, ipsa etiam desinent; manente interim cælorum & elementorum substantia. Sic in deserto marina etiam quoad substantiam effectus fuit diuinæ prouidentiæ Israelitis de vietu prosperitatis. Sic etiam forte nouæ quandoque stellæ, aliquæ portenta ex diuinæ prouidentia sive efficiuntur, &c. In eundem sensum Molina hic q. 2. art. 1. disp. 1. ait: [Quod autem non sola gubernatio, sed etiam creatio ipsa (quadam saltem sui parte) executio sit diuinæ prouidentiæ, vel ex eo probari potest aduersus Durandum in 1. d. 39. q. 3. quoniam à prima rerum productione in hominis utilitatem conditas fuissent tam accommodatæ ceteras res corporeas à Deo, totumque vniuersum tam congrue ad ostensionem diuinæ bonitatis, sapientiæ, atque potentia fabricatum, & singulas illius partes, & non solum illius, sed etiam cuiusque viuentis, tam aptas ad suas peculiares functiones ac fines, quis non videt effecta esse, atque executionem diuinæ prouidentiæ, vt ex definitione prouidentiæ liquido constat?]

<sup>13</sup> Assertio V. Existentia tamen eius rei, cui prouidetur, non est effectus ipsius prouidentiæ, per quam eidem rei prouidetur; licet esse possit effectus prouidentiæ, per quam Dens alteri cuiusdam rei prouideret. Ita communiter tradunt Doctores, quos citabimus assert. 7. Ratio sumitur ex ipsa notione nominis. Prouideri enim dicitur solummodo rebus iam existentibus, seu quatenus concipiuntur, vtiam existentes: quo sit, vt prouidentia supponat secun-

dum rationem, tam creationem seu existentiam ipsarum rerum, quibus prouidetur, saltem ut obiectu existentem in mente diuina, quam omnes illos actus internos diuinæ mentis, à quibus ut sic penderit existentia rerum, quibus Deus prouidet; non tamen etiam existentiam rerum, quas veluti media seu terminos prouidentia alii rebus prouidet, ut dictum assert. prædict. Quia tamen vna & eadem res, V. G. animal, potest simul & subiectum esse prouidentia, cui nimirum à Deo pro conditione sua naturæ in ordine ad suum finem prouidetur, & terminus, qui alteri cuidam rei puta homini, in ordine ad suum finem velut medium prouidetur; idcirco eadem res illa respectu diuersæ prouidentia, seu potius respectu diuersi subiecti, cui prouidetur, potest & quoad substantiam ac existentiam suam à prouidentia supponi; & simul effectus esse prouidentia, quam Deus habet de alio subiecto.

**Affirmatio VI.** Sed & dispositio rerum, licet uno quodam sensu à prouidentia secundum rationem differat, eaque prior sit; tamen alio sensu rectè etiam dici potest & actus (si actuè accipitur) & effectus (si passiuè sumatur) esse prouidentia, eaque posterior. Hæc assertio colligitur ex S. Thoma in variis locis; nec videtur aliena à sensu Doctorum, ut patet. Speciatim vero primam partem tradit S. Thomas de verit. q. 5. art. 1. ad 9. & in 1. sent. d. 39. q. 2. art. 1. quem sequuntur Durandus in t. d. 39. q. 3. n. 5. et 6. Capreolus d. 40. q. 1. a. 2. Ferrarenis 3. cont gent. c. 64. & communiter recentiores. Probatur & declaratur assertio. Dispositio enim diuina rerum dupliciter accipitur; generaliter, & strictè; & rursum vero modo actue & passue. De dispositione generatim loquitur S. Thomas hic q. 2. a. 1. ubi ait, dispositio posse dicitam rationem ordinis rerum in finem, quam rationem ordinis partium in toto: quod etiam docet citato loco sent. Quo modo dispositio (activa) commune quiddam est ad prouidentiam, quam includit, ut patet. Strictè vero accepta dicitur ratione ordinis, quem ponit in rebus, scilicet rei ad rem, (sive rerum inter se) secundum quod iuvant se invicem ad consequendum ultimum finem, ut loquitur S. Thomas loc. cit. sent. & consentit de verit. loc. cit. Quo spectat etiam, tum quod res in diuersis gradibus collocantur, ut docet idem de verit. ibid. & rectè notavit Durandus loc. cit. tum quod apta inter se collocatione necuntur. Iam ex his collocatio rerum in certis gradibus, utique presupponitur ad prouidentiam, qua Deus iisdem rebus prouidet; cum diuersitas hæc graduum immediatè ac necessariò consequatur naturas rerum productarum, ut bene etiam Durandus loc. cit. at vero loquendo de ordine actualis collocationis, quam res vnaquæque habet, in ipso vniuerso, & comparatione ad res alias: eum rectè etiam effectum dicit posse prouidentia, per quam Deus sive eidem rei sive alijs in ordine ad suum finem prouidet, probabilius videtur.

Probatur & declaratur. Sunt enim nonnulli, qui absolute docent, quoniam res simul cum creatione accipiunt certum quendam inter se ordinem collocationis, idcirco prouidentiam, qua Deus eidem rei prouidet, supponere quoq; in mente diuina tum internam Dei ordinationem, seu dispositiōnem actiūam, pro obiecto habentem hunc ordinem,

tum ipsum quoq; ordinem, eo modo, quo de existentia dictum: quod sentiunt Molina hic q. 2. a. 1. disp. 1. Suarez lib. 3. de attrib. diuin cap. 3. & indicat Gregorius de Valentia hic q. 2. 2. pun. 1. post Capreolum & Ferrarensim locis citatis. Sed contrariū, ut dixi, videtur verius: quod satis aperte docet S. Thomas loco citato de verit. q. 5. a. 1. ad 9. ubi ait: Prouidentia differt ab arte diuina, & dispositio. Quia ars diuina dicitur respectu productionis rerum; sed dispositio respectu ordinis productorum prouidentia autem dicit ordinem in fine. sed quia ex fine artificati colliguntur, quicquid est in artifice, ordo aut ad finem est sibi propinquior, quam ad partium ad invicem & quodammodo causa eius, ideo prouidentia est quodammodo dispositio in causa; & propter hoc dispositio actus frequenter prouidentia attribuitur. Vbi exprefse habemus postremā assertioni partem.

Et ratio insuper est, quia ē ille ipse ordo actualis rerū inter se, & certa collocatio, est aliquid superueniens rebus iam existentibus, idq; propter fine: cadit ergo ipse etiam sub prouidentia, & non suppontur. Vnde ē per extraordinariā Dei prouidentiā, ob certū finem, non nunquam hic ipse ordo inveniatur; ut quod terra eminet supra aquas, quodq; homo in terra aqua nuda posit⁹ est; quod vtriq; ac præsertim homini ad suum finem connodum fuit: item quod aquæ non nunquam emineant & eleventur supra aerē, ibiq;stant, ut in rubro mari Israëlitis transleuntibus accidit; quod nemo à diuina prouidentia factum negare poterit. Sec⁹ est, si loquamur de naturali & intrinseca aptitudine, secundum quā vna res hoc vel illo modo ad alteram se habere aptata est; hæc enim cum ab ipsiis rerum essentiis non differat, non secus per prouidentiam supponitur, quam ipsa actualis existentia rerum, quibus prouidetur.

**Affirmatio VII.** Licet prima quidem præordinatio finis ad quēm & propter quēm vnaquæque res condita est, non sit actus prouidentia; ac prōinde nec debitū ad finem eiusmodi consequendū propriè sit effectus prouidentia, per quā eidem rei prouideatur; ipsa tamen actualis consecutio finis, non minus quam tendentia ac progressus ad eandem, est effectus prouidentia, per quam eidem rei prouidetur. Hæc assertio antequam probetur, notandum est: cum ordinare rem in fine, quod prouidentia proprium est, duo includat, nimirum ipsam præordinationē finis, & dispositiōnem mediotorum ad eundem finem, certi & extra controversiam est, posteriore esse actum prouidentia; an vero sit ēptior; ita ut ipse etiam finis cuiusq; rei cadat sub diuinam prouidentiam, per quam Deus eidem rei prouidet; an contra potius prouidentia hæc supponat eiusdem rei fine, seu quod id est; an Deus nō solū prouideat media, sed ētiplum fine rebus, quibus prouidet, dubitari potest. Finem n.ō prouiderit, sed supponi per prouidentiā, eo modo quo de existentia diximus, docēt Durand⁹ in t. d. 41. a. 1. ad 1. Vasquez disp. 87. n. 18. Suarez lib. 1. de prædestination. c. 5. n. 17. & cap. 18. à nū. 13. ubi etiam per hoc distinguit prouidentiam à prædestinatione: de quo quæst seq.

E contrario vero finem etiam ipsum cuiusque rei subiecti diuinæ prouidentia, per quam Deus eidem rei prouidet, alii quidam graues authores sentire videntur. Ita enim passim de hac re loquitur S. Thomas non solum dum absolūte docet q. 2. 2. art. 1. 2. & 3. prouidentiam esse rationem ordinis rerum,

in finem;

in finem; spectat autem ad rationem ordinis in finem & dispositio mediorum, & ipsa præordinatio seu destinatio in finem; sed etiam dum ipsam quoq; consecutionem finis ad diuinam prouidentiam spectare afferit, quem; et si hac de re quandoq; aliter locutum refert, & sequitur Caietanus hic q. 22. art. 1. vbi ita ait: [Circa definitionem prouidentiae dubium difficile occurrit, an cum dicitur ratio ordinis rerum in finem, intelligatur & ipse ordo in finem, & peruentio ad finem; & an ordo tantum. Est autem ratio dubitandi, quia expressè in questionibus de verit. q. 6. a. 1. dicitur, quod prouidentia diuina est ratio ordinis in finem, & non euentus, id est consecutionis ipsius finis. In sequentibus autem pluries haberunt oppositum: & (hic) in sequenti articulo in resp. ad 1. & in art. 4. apertissime; & in art. 6. sequentis questionis, ita ut non sit locus inficiacioni. Ad hoc breuiter iudicio meo dicendum est, quod auctor mutauit sententiam in melius, & id de mente sua tenendum est, quod hinc & ex tertio cont. gent. cap. 94. habetur, scilicet quod prouidentia est ratio ordinis in finem quoad utrumque, scilicet ordinationis, & consecutionis &c.]

Eodem modo Gregorius de Valentia hic q. 22. pun. 1. docet, ad rationem diuinæ prouidentie pertinere, non solum quod res vnaquæque sit in suum finem ordinata; sed etiam quod res a sequuntur suis fines, ita quidem, vt quando res finem suum a sequitur, ipsa quoque a sequitur finis pertineat ad prouidentiam, qua res illa in suum finem ordinata est. Eadem ratione Molina hic q. 22. art. 1. disp. 2. et si quidem afferat contra Caietanum, de ratione Prudentiae non esse consecutionem finis, tamen certè supponit, & præordinationem finis, & ipsam quoq; eius consecutionem ad prouidentiam spectare, quod finis res ipso obtinetur. Idem docet Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 94. vbi ait Prudentiam duo includere, scilicet voluntatem finis aliquo modo, & voluntatem ordinis rerum ad finem. Sed reuera hi authores non loquuntur de prima præordinatione finis; sed solum tum de tendentia ad finem per media; tum de actuali consecutione finis.

Quare probatur prima pars assertionis, quam tradunt Durádus, Suarez, Vasquez locis citatis, neq; negant alij, vt dictum. Tum quia finis cuiusq; rei primus est in intentione; ac proinde licet non prius ratione Deus voluerit hominem ordinari ad suum finem, etiam supernaturalem, quam hominem creare; certè tamen voluntas creandi inuoluit hanc præordinationem finis. Cum ergo prouidentia supponat voluntatem creandi ex assert. 6. supponet etiam præordinationem eiusdem finis; ac proinde hæc præordinatio non est actus prouidentiae. Tum quia destinatio ad hunc vel illum finem, potius pertinet ad dispositionem, qua res in hoc vel illo gradu rerum collocantur, quam ad prouidentiam, qua eidem rei prouidetur in ordine ad suum finem. Tum quia non solemus dicere prouideri rei ipsa designatione supremi finis; sed mediorum.

Ratio secundæ partis, quam tradunt authores posterius relati neque negant alij, est. Quia usus & applicatio actualis mediorum efficacium ad quemlibet finem consequendum, vtique est effectus prouidentiae: Ergo etiam actualis consecutio finis, quæ ex

illo usus perse, ac necessariò consequitur: iuxta illud quod est causa causa, est etiam causa causati.

#### D V B I V M IV.

*An & qua ratione Prudentia sit infallibilis; & an semper consequatur finem, ad quem ordinat & preparat media.*

S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. & 4.

Controversia est aliqua inter Doctores, an prouidentia diuina semper consequatur finem, ad quem ordinat & preparat media, vt inferius dicimus. Sed vt doctrina sit plenior, vniuersim nobis explicandum est, qua ratione prouidentia diuina sit infallibilis.

Assertio I. Prudentia diuina eatenus absolute est, & rectè dicitur infallibilis, quatenus in eo, quod per illam absolute & efficaciter (adiuncta nimis voluntate Dei consequente & efficaci) siue circa finem, siue circa media ordinatur, infallibiliter euenit, eo modo, quo ordinatum est. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 4. ad 2. vbi ait, ea que ab ipso prouidentur, cuncta euenire ex modo, quo ipse prouiderit, siue necessario, siue contingenter. Et ad 3. ait, prouidentiam diuinam non deficere à suo effectu. Et rursus lib. 3. cont. gent. cap. 94. ait, ordinem diuinæ prouidentiae esse certum, immobilem, & indissolubilem, quod effectus consecutio nem. Idem docet Boetius lib. 4. de consol. pros. 6. et Ecclesia in orat. Domin. 7. post Pentecosten, orat: Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur &c. Et est extra controversiam.

Ratio sumitur ex efficacitate diuinæ voluntatis, quæ eum aliquid absolute & simpliciter fieri vult, semper est efficax, vt dictum supra disp. 2. q. 10. dub. 3. & 4. Neque verò propriè dici potest nulli prouidentia; nisi cum non a sequitur id, quod prouisor absolute & efficaciter vult & intendit. Quia in re plurimum differt prouidentia diuina ab humana: hæc enim sepius simē & in fine, & in mediis præordinandis, fallitur. Cum enim patens filium v.g. vult creari Doctorem, ideoque pecunias mittit, absoluta etiam, & quantum est ex parte parentis, efficaci quadam voluntate eius finis, ac mediis &c. sèpe fit, vt & pecunia transmissa fiat auctura, & filius, etiam si pecunia sufficiat, defectu doctrinae gradum designatum consequi non possit &c. Vnde apud Sapientem legitur, Cogitationes mortalium timida, & incerta prouidentia nostra. Sap. 9. Non ita in Deo accidit.

Assertio II. Prouidentia diuina quod dispositionem seu præordinationem mediorum semper habet aliquem effectum. Ita docet Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 94. vbi generatim pronuntiat, Prouidentiam respectu ordinis rerum ad finem pertinere ad voluntatem consequenter; & sic semper impleri, quod est præsumptum: quia omne quod est prouisum, ut habeat ordinem ad aliquem finem, illum ordinem sequitur: respectu autem finis pertinere ad voluntatem antecedentem, quantum ad aliqua prouisa &c.

Ita Ferrarensis; sed cuius generale dictum illud, vtique limitatione indiget, quando palam est, nec media quidem per diuinam prouidentiam ad beatitudinem consequendam hominibus præordinata; vt sunt applicatio Sacramentorum, predicatione & auditio Verbi Dei; preceptorum diuinorum obseruatio &c. semper re ipsa impleri, & executioni mandari.

**3** Intelligentum est ergo, prouidentiam respectu mediorum semper esse aliquo modo efficacem, quatenus Deus sua prouidentia, quantum in se est, generalia & sufficientia salutis media omnibus præparauit, etiamsi interim particulariter ac re ipsa omnibus non applicentur, nec forte ex accidenti etiam applicari possint: quandoquidem Deus nec quidem, ut hoc re ipsa fieret, sua prouidentia efficaciter præordinare voluit, aut debuit. Est ergo hoc solum discrimen inter finem & media: quod prouidentia respectu mediorum, etiam in ordine ad finem particularem, semper habet aliquem effectum, ut dictum, respectu vero ipsius finis particularis, per se ei necessariò non requirit actualem consecutionem in vilo subiecto, cuia Deo prouisum ad eum finem dicitur, ut paulò post dicetur. Quo sensu rectè etiam dixit Molina hic q. 22. art. 1. disp. 2. prouidentiam diuinam includere quidem propositum efficax, & voluntatem absolute exequendi aliqua media, non tamen aliquid diuinum.

**4** **Assertio III.** Sed & quantum ad finem generalē totius creaturæ, qui est manifestatio gloriae diuinæ, prouidentia diuina semper consequitur suum finem & effectum. Ita S. Thomas hic q. 19. art. 6. & dictum supra disp. 2. q. 10. dub. 3. neque de hoc etiam est vila controversia.

Ratio est; quia siue peccata Deus impedit, siue permittat, siue remittat; siue cum bonos facit & remunerat; siue cum malos tolerat, aut punit; siue cum virtutis beneficis, semper elucet diuinæ Maiestatis potentia, sapientia, iustitia, bonitas, misericordia &c. unde & gloria ipsius tam hominibus, quam Angelis, quibus a diuinæ prouidentia ratio cognita est, magis semper ac magis patescit. Neque omnino fieri potest, ut peccatores, etiamsi velint, diuinæ voluntatis & prouidentiae ordinem effugiant: qui dum peccando subtrahunt se à diuinæ voluntate præcipiente, incident in ordinem diuinæ voluntatis & prouidentiae punientem, ut ibidem, cum S. Thoma dictum.

**5** **Assertio IV.** Quod verò attinet ad fines particulares rerum, quibus à Deo prout detur, diuina prouidentia non semper ac necessariò consequitur finem, ad quem ordinat & præparat media. Ita a parte S. Thomas in 1. d. 40. q. 1. art. 2. & quest. 6. de verit. art. 1. Durandus in 1. d. 39. q. 3. & dist. 40. q. 1. Capreolus ibidem. Marsilius quest. 41. a. 1. Ferrarensis 3. cont. gent. cap. 94. Gregorius de Valentia hic q. 22. p. 1. Molina q. 22. art. 1. disp. 2. Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 18. à num. 6. Vasquez disp. 87. cap. 4. & apud eosdem Sylvester, & omnes Thomistæ, contra Caietanum hic q. 22. art. 1. ubi contrarium docuisse visus est, quasi videlicet prouidentia diuina non solum includat rationem ordinis rerum in finem, sed etiam ipsam consecutionem finis: quare etiam vniuersim ait, prouiden-

dentiam pertinere ad voluntatem Dei consequentem.

Ex quo deducit Molina, si quando res aliqua finem non assequatur, ex Caetani sententia, eam non fuisse ordinatam in eum finem à diuina prouidentia. In eam verò sententiam Caetanus adducit etiam S. Thomam citatum pro assert. 1. quem proinde vult, priorem sententiam locis hac assertione citatis olim defensam retractasse, ut retulimus etiam ex Caetano dub. præced. Sed immerito, ut Molina & Vasquez, ex Sylvester, & alijs Thomistis referunt, qui autem, solum Caietanum inter sectatores S. Thomas, id de S. Thoma affirmare. Gregorius de Valentia autem loc. cit. putat, Caietanum solum existimat, ad diuinam prouidentiam spectare etiam consecutionem finis, velut effectum quendam, tunc, quando finis re ipsa obtinetur, quod nos etiam dub. præced. diximus: eaque ratione putar authores utriusque sententiae possit conciliari. Sed Caietanus plus dicit, ut non solum referunt citati, sed etiam ex verbis eius colligitur.

Ratio assertionis est. Quia negari nulla ratione potest, multis prouisum esse de mediis ad vitam æternam consequendam, eosque proinde in hunc finem à Deo esse ordinatos, iuxta illud, *Vult omnes homines salvos fieri*: Item, *Docete omnes gentes &c.* qui tamen eum finem re ipsa non consequuntur. Cuius etiam rei hæc est causa. Quia licet Deus prouidendo semper aliqua media ex se sufficientia ad finem omnibus exhibeat seu offerat (quo etiam respectu prouidentia pertinet ad scientiam approbationis, & est efficax causa rerum, ut dictum) tamen non semper omnibus re ipsa applicat illa, quæ præsciuit efficacia; nec omnino etiam vult liberum & continentem agendi modum causis secundis adimere, sed vnicuique subuenire & cooperari, secundum exigentiam sua naturæ, iuxta S. Dionysium cap. 4. de diuin. nom. vbi ait: *Negre enim prouidentia est, naturam interinere & tollere.* Itaque ut prouidentia vniuersum in natura conseruatricem, ea que suis appetitionibus vntur, ut euromodi gubernat; & vniuerso & singulis, accommodare utriusque, quatenus eorum, qua prouidentia reguntur, natura capit, vniuersaliter prouidentia beneficia, qua cuncte pro capitu uadantur. Et

Quò sit etiam, ut talis frustratio finis, non proueniat, vti inter homines fieri assulet, ex defectu, puta ignorantia vel impotencia prouisoris, sed ex libertate diuinæ voluntatis, & suauitate summaque perfectione prouidentiae summi gubernatoris. Secus est, sive Medicus quispiam imperitus, absoluè & simpliciter Deus consecutionem finis intenderet; quem ob imponentiam consequi non posset, vti etiam assert. 1. dictum.

Ex quibus etiam patet responsio ad fundatum oppositam sententiam, quia frustratio finis, etiam particularis, tribui non possit diuinæ prouidentiae fine imperfectione; cum in humanis finem intendens, & non obtinens, semper imperfectè operari videatur: in quo tamen, ut dictum, manifesta disparitas est, quod D E V S sua prouidentia non semper absolute intendit consecutionem finis; sed aliquando solù conditionata, aut simplici voluntate; quantum nimis in se est, & sicib[us] libertas & contingencia causarum secundarum non obster, ut plu-

ribus

ribus Molina loc. cit. & dictum supra disp. 2. q. 10. dub. 5.

Quod verò Caietanus addit, prouidentiam Dei spectare ad voluntatem Dei consequentem, intelligendum est; iuxta sensum primæ, secundæ, & tertia assertionis: quantum enim ad actualem consecutionem finis particularis attinet, ea aliquando solam voluntatem antecedentem complectitur, vt recte Ferrariensis loc. cit. Eodemq; sensu intelligendum est etiam S. Thomas locis illis, quos pro fe citauit Caietanus. Neq; enim S. Thomas locis à Caietano in utramque partem citatis plus docet, quam hæc duo; primum est, prouidentiam diuinam non falli, quin & finem vniuersalem semper; particularē autem pro arbitrio diuina voluntatis, quando & quoties vult Deus, consequi: alterum est, de ratione tamen diuinæ prouidentiæ non esse actualem consecutionem finis; quæ diuersa quidem sunt; sed sibi minimè contraria, vt ex dictis constat.

## D V B I V M V.

*An & qua ratione diuina Prudentia concilietur cum libertate arbitrii creati; speciatim etiam ex mente S. Thomae: & quid de fato ac fortuna sentiendum.*

S. Thomas I. p. q. 22. a. 4.

Vppositis iis, quæ disp. præced. quæst. 8. dub. 11. & quæst. 10. dub. 7. & q. 11. dub. 1. à nobis disputata & explicata sunt, facilis est huius rei explicatio. Cum enim diuina prouidentia dupliciter spectari possit; primò secundum se, vt est actus immanens in Deo; deinde etiam quoad executionem, quam esse ipsam rerum gubernationem dictum est hic dub. 1. facile ex dictis disp. præced. loc. cit. liquet, Prudentiam diuinam cum libertate arbitrii creati, adeoque & contingentia causarum secundarum optimè conuenire. Cum enim secundum se, vt actus immanens in Deo, formaliter sit actus intellectus & scientia quædam practica in Deo; simul tamen etiam connotans actum voluntatis, vt dub. 1. dictum, constat, prouidentiam non magis pugnare cum libertate arbitrii, quam ipsam scientiam & voluntatem diuinam; quarum prior qua ratione cum libertate concilietur, exposuimus cit. quæst. 8. dub. 11. Voluntatis autem diuinæ concordiam cum eadem libertate explicauimus cit. quæst. 10. dub. 7. vbi simil etiam diximus, tamen si Deus sua prouidentia actus nostros in particulari quandoque absolute prædefiniret, id tamen cum libertate arbitrii optimè stare posse.

Quod eò etiam pertinet, vt etiamsi diuinam prouidentiam formaliter constitutam esse existimaremus, in efficaci quodam actu Imperii, ab omnī cognitione intellectus distincto, nostramque determinationem & libertatem antecedente, vt non nulli existimant, eum tamen actum Dei internum.

per se libertati nostra officere nihil posse intelligamus: quandoquidem eā ratione plus Deo non tribueretur, quantum ad præsens negotium pertinet, quam præfinitio quædam actuum nostrorum absolute, & antecedens nostram libertatem; quæ qua ratione per se libertati nihil obstat, ibidem diximus; quanquam eum actum Imperii, ex alio capite, & iam superius dub. 1. reieciimus, & q. seq dub. 3. rursum reiciemus.

Quod si Prudentia diuina spectetur secundum sui executionem, quam diximus esse gubernationem, patet itidem ex dictis disp. præced. q. 10. dub. 7. & q. 11. dub. 1. eam libertati nostra nihil prædicare; quandoquidem executio prouidentiæ consistit partum in auxiliis gratia præuenientis, partim in actuali concurso diuino cum actibus liberiarum arbitrii: neutro autem modo impediti libertatem arbitrii nostri ex eo declarauimus; quia neutrō modo physicæ ac intrinsecè prædeterminatur liberum arbitrium, nec connaturalis eius agendi modus ullo modo immutatur, vel impeditur; sed auxiliis gratiæ excitatur solum & adiuuatur voluntas, vt possit beneagere, & si efficacia sint, re ipsa beneagat; cum absolute tamen etiam possit non agere, vt dictum cit. dub. 7. & pluribus etiam in materia de gratia explicandum est: concurso verò diuino mouetur quidem efficaciter voluntas, sed motione solum simultanea, non naturæ & causalitatis ordine antecedente nostram determinationem, vt ibidem dictum.

Atque cum his optimè conuenit, quod de concordia diuinæ prouidentiæ cum libertate arbitrii docet S. Thomas hic q. 22. art. 4. vbi cum docuisset, diuinam prouidentiam quibusdam rebus necessitatem imponere; iis nimirum effectibus, quibus præparauit causas necessarias; non autem omnibus, vt quidam inquit, crediderunt; eò quod quibusdam effectibus præparauit causas solum contingentes; qui proinde etiam eueniunt contingenter, secundum conditionem proximarum causarum; de qua re contra Scotum actum est superioris, disp. præcedentis. quæst. 10. dub. 5. mox in solutione argumentorum, diuinam prouidentiam cum libertate nostra ita conciliat, vt ab ipsa efficacitate diuinæ prouidentiæ, concordia rationem desumat. Cum enim primò obiectum fuisset hoc argumentum: *omnis effectus, qui habet aliquam causam per se, quæ iam est vel fuit, ad quam de necessitate sequitur, prouenit ex necessitate, ut philosophus probat in 6. Metaph. tex. 7. sed prouidentia Dei cum sit eterna, præexistit, & ad eam sequitur effectus de necessitate; non enim potest diuinæ prouidentia frustrari:* Ergo prouidentia diuinæ necessitatem rebus prævisis imponit: Respondebat S. Thomas ad 1. Effectus diuinæ prouidentiæ non solum est, aliquid eueniere quoquinque modo, sed aliquid eueniere vel contingenter, vel necessario. Et ideo euenit infallibiliter & necessario, quod diuinæ prouidentia disponit eueniere infallibiliter & necessario; & euenit contingenter, quod diuinæ prouidentia ratio habet, vt contingenter eueniat. Eodem modo loquitur resp. ad 2.

Et rursum resp. ad 3. cum obiectus fuisset locus Boetij lib. 4. de consol. pros. 6. assertoris, quod *Fatum* (quo nomine Boetius prouidentiæ executionem, seu diuinam gubernationem intelligere videtur)

ab immobilibus prouidentia proficiens exordis actus fortunæque hominum indissolubili causarum connexione adstringit: Respondet S. Thomas his verbis: quod indissolubilitas illa, & immutabilitas, quam Boetius tangit, pertinet ad certitudinem seu infallibilitatem prouidentiae, quæ non deficit à suo effectu, neque à modo eueniendi, quem prouidit; non autem pertinet ad necessitatem effectuum. Et considerandum est, quod necessarium & contingens proprie consequuntur ens, in quantum huicmodi: Vnde modus contingentia & necessitas cadit sub prouisione Dei, quies tñniversali prouisor totius Entis; non autem sub prouisione aliquorum particularium prouisorum. Ita S. Thomas; qui adeundem etiam modum loquitur q. 19. a. 8. & lib. 3. cont. gent. cap. 94. vbi ex instituto etiam hanc materiam persequitur.

5

Vbi hæc duo notanda. primum est, S. Thomam concordiam prouidentiae diuinæ cum libertate arbitrii, referre quidem in efficaciam eiusdem prouidentiae, sed non hoc sensu, quasi quisquis demum sit modus executionis diuinæ prouidentiae, & concursus eiusdem etiam cum causisliberis, id libertati arbitrii nihil possit præiudicare; hoc enim superiorius disp. præced. q. 11. dub. 1. refutauimus: sed quia ob ipsam efficaciam diuinæ prouidentiae, nō deest modus Deo, quo, salua libertate nostra, effectus prouidentiae infallibiliter quidem euenient, & executioni mandentur, sed non necessariò physica & absolute necessitate: quem modum cit. q. 10. dub. 7. & quæst. 11. dub. 1. explicauimus.

Alterum est, S. Thomam nullo vspiam verbo eam rationem concordia prouidentiae diuinæ cum libertate arbitrii nostri innuere, vt significet, prouidentiam diuinam secundum se, & ut actus quidam in Deo immanens est, non esse priorem ratione & naturalibz nostra determinatione (in quo solo tamen recentiores quidam eam concordia rationem positam arbitrantur, contra quos disputauimus supradisp. 2. q. 10. dub. 2.) etiam si optima alioqui occasio fuisset, & causa sufficiens in resp. ad 1. eam solutionem promendi: sed supposita prouidentia prioritate, qualis demum illa esset, ad eius efficaciam recurrendum sibi existimauit; vt hinc planè colligere licet, eam concordia rationem à quibusdam recentioribus adferri solitam, S. Thomæ non fuisse cognitam: vt nec antiquioribus Theologis, Durando in 1. d. 46. q. 1. num. 7. Dionysio Carthusiano dist. 39. q. 2. Capreolo d. 45. q. 1. concl. 5. Ferrariensi 1. cont. gent. c. 85. Driedoni opusc. de concord. lib. arbit. & prædest. 2. p.c. 3. ad 1. aliisque pluribus, qui cum S. Thoma, ad explicandam eam concordiam, docent, Dei voluntatem & prouidentiam tantæ virtutis & efficacitatis esse, vt licet ei nulla potentia & libertas creata resistere possit; omnes tamen causas, quibus cooperatur, suauiter moueat, & iuxta cuiusque naturam aut necessariò, aut liberè ad operandum impellat. Quia non solum operatur quod vult, sed modum etiam quem vult, in cooperando tenet, & per varias causas varios quoq; producit effectus, vt benè etiam retulit Vasquez hic disp. 99. cap. 3. Sed de hoc re plura loc. cit.

6

Atq; ex his etiam colligi potest, quid de fato sentiendum, de quo ex instituto agit S. Thomas 1. p.q. 116. & hæc tria recte docet. Primum art. 1. fatum, quidem prout ab Ethnicis philosophis olim accipie-

batur, pro certa illa dispositione siderū, in qua quicq; conceptus est, vel natus, qua eriam hominem ad omnia effecta & euentu necessariò trahi existimabant, nihil esse, & diuinæ prouidentiae aduersum: quo modo loquuntur tum alii Patres, tum speciatim S. Gregorius homil. 10. Epiph. nihilominus tamen alio sensu fatum dici posse ipsum ordinem diuinæ prouidentiae; & hac ratione fatum posse recte concedi cum Boetio lib. 4. profa 6. de consol. Nec admodum alienus est S. Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 1. vbiait: Si propterea quicquam res humanas fati tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat. Et cap. 9. Quod si fatum, inquit, à fide di Eum intelligamus, cum Deus omnia immutabiliter sit locutus; quia omnia que futura sunt, & qua ipse facturus immutabiliter nouit, hac utique ratione possemus fatum à fando appellare.

Secundum est a. 2. Fatum es sensu, quem diximus, caualiter quidem esse ipsam diuinam prouidentiam, seu vt Augustinus loquitur, voluntatem vel potestatem Dei; at verò formaliter esse ipsam dispositionem seu seriem, sive ordinem causarum, in causa secundis existentem & à Deo ordinatum, iuxta Boetium cit. lib. 4. profa 6. de consol. Fatum est in hærenz rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis queaque necrit ordinibus. Eraddit: Sive fulmiantibus quibusdam diuinæ prouidentie fitribus fatum exercetur, seu anima, seu tota inserviente natura, sive cælestibus siderum motibus, seu Angelica virtute, seu demonum varia solertia, seu aliquibus eorum, seu omnibus fatalis series texitur.

Tertium est art. 3. Fatum secundum ipsam per se dispositionem causarum secundarum, non esse prorsus immobile; sed solum, in quantum sub est diuinæ prouidentiae, immobilitatem quandam habere, non quidem absolute necessariò; sed conditionata; prout omnia que à Deo efficaciter prouisa sunt, infallibiliter, & ex hypothesi, necessariò eveniunt, vt supra locis citatis dictum.

Quartum est art. 4. Cum fatum sit vel ordinatio, vel ordo secundarum causarum ad effectus diuinitus prouisos, ea quidem que à Deo immediate fiunt, non subdi fato; sicut est creatio rerum, glorificatio spiritualium substantiarum, & alia huiusmodi: sed ea sola & omnia, que subiiciuntur causis secundis. De quibus Boetius loc. citat. Series facticium ac sidera movere; elementa in se insicem temperat, & alterna commutatione transformat. Eadem nascentia, occidentiaque omnia per similes fatum seminumque renousat progressus. Hec actus fortunæque hominum, indissolubili causarum connexione constringit. Et c. Ita recte S. Thomas, quem immerito vellicat Aureolus in 1. distinc. 40. quæst. 1. artic. 3. Ex quibus patet, fatum Christiano loquendu modo esse executionem & effectum quandam prouidentiae; non omnem quidem, sed eum, qui cernitur in dispositione passiva & ordine causarum secundarum, ex qua supposita efficaci DEI prouidentia, seu prævisione, infallibiliter sequuntur effectus.

Colligitur secundò quid de bona fortuna, & veris somnis sentiendum. De qua re breuiter hæc notanda. Primum est, reiecta stulta opinione quorundam Ethnicorum, tum poetarum, tum philosopho-

9

Iosophorum, qui fortunam sive Deum, sive Deum aliquem esse confinxerunt, temerè prosperos aduersos est casus inter mortales dispergientem, quos refellunt Laetantius lib. 3. cap. 28. & 29. & Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 18. fortunam in genere, prout aliquid commune est ad bonam & malam fortunam, nihil aliud esse, quam *causam per accidens in ipsius, qua ob aliquem finem operantur*: iuxta Aristotelem 2. physic. cap. 6. text. 58. Quo fit, ut quia fortunon est nisi circa effectum per accidens, ab operante non prouisum, respectu Dei Optimi Maximi, omnia & singula quae euentura sunt prouidentis, nihil casu, nihil etiam fortuito agi dici possit, ut bene probat Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. & lib. 8. qq. q. 34.

Secundò notandum, ab hac fortuna aliquos dicunt fortunatos; alios male fortunatos; illos quia continuo quasi gaudent felicibus euentis, tum in rebus eligendis, tum in ipsis perficiendis & exequendis; eum præter & supra vires humani consilij; cum tamen est contrario vtraque seu alterutra his aduersa accident. Et verò vii sunt diuersa hominum studia & officia, ita alius in alio officiorum genere bene fortunatus dicitur: nimurum alius in arte medica, seu in medendo; alius in arte militari, seu pugnando; alius in mercatura; alius in arte nauticaria; alius in architectonica, &c. Quo sensu Aureolus in 1. distinct. 40. quest. 1. artic. 3. bonam fortunam ex sententia Aristotelis libello de bona fortuna definit, *quod bona fortuna continua, inquit, & divina non est aliud, quam sine ratione natura, inclinans hominem, ad secundum diuinos impulsus, quibus agitur ad profectionem boni & fugam mali*. In qua descripitione illud saltem verum est, & ab omnibus receptum, quod bona fortuna sit ratione natura; quo saepit, ut bene fortunati sint minus prudentes, & magis insipientes, nimurum secundum ordinarias regulas humanæ prudentie, ut notauit etiam Aristoteles lib. 2. magn. moralium, cap. 9. vbi ait: *Fortuna in eiusmodi esse dicitur, ubi neg. mens illa, ne recta ratio est, &c.* Idcirco ubi mens plurima ac ratio, ibi fortuna minima: *vbi plurima fortuna, ibi mens per exigua.*

At verò tertio, quænam sit propria causa felicium eiusmodi euentuum, seu prosperitatis fortunæ controvèrtitur. S. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 11. assignat triplicem causam, Deum nimurum, Angelum, & corpora coelestia. Henricus quodlib. 6. quest. 4. damnata Aristotelis sententia, in solum Deum huius rei causam refert. Vtrumque refelle re satagens Aureolus loco cit. docet. *Eus fortunum, seu bonam illam fortunam, esse naturalem vim & dispositionem homini inditam, quæ sequi videatur complexiōnem, quam quis consequitur ex influentia varia constellationum.* Quomodo etiam Aristoteles cit lib. 2. mag. moral. cap. 9. subiungit: *Est igitur prosperitas*

*rationis expers: natura namq. fortunatus est, qui sine ratione ad bona impellitur, eaq. consequitur. Id vero natura est: nam anima inest huic modi à natura; quo sineratio impellatur ad ea. Unde bene habemus, eouq. visquis roget ita habentem. Curnam id tibi ita libertagere? nescio, inquit, sed liber. Simile propemodum lymphatici: siquidem lymphatici circa rationem ad aliquid agendum impelluntur. Addit Aureolus ibidem propositione 2. prosperitatem illam, seu bonam fortunam, quæ videtur quibusdam hominibus naturalis, reduci debere, ut in pluribus, in occultam quandam industriam, quam habent diuersi homines in diuersis: quæ appellatur à philosopho in 6. Eth. Eustochia, seu bona conjectura; & in libello de bona fortuna, appellatur virtus diuinatitiae.*

Cæterum quartò, S. Thomæ doctrinam bene contra Aureolum tuetur Capreolus in 1. distinct. 40. quest. 1. art. 2. Quare breuiter dico, causam huiusmodi impellentem ad prosperos euentus generalē & supremam, non unquam etiam immediate in voluntatem creatam influentem, esse Deum; non unquam Angelum illuminantem & dirigentem, seu bonum, si euentus verè salutaris sit anima, aut bono communi: seu malum, si euentus solum ad speciem fortunatus sit, re ipsa verò noxius; aliquando etiam esse cœlum, dum appetitum sensituum, commouet. Interim verò ipsam complexionem, ac eustochiam seu industriam naturalē, ad hac ipsa momentum etiam adferre, non negauerim. In quem denique sensum ferè ipse etiam Aureolus loco cit. proposit. 2. concludit his verbis: *Considerandum, quod licet ista sit ratio generalis, quare homines naturaliter sunt bene fortunati, aut videntes somnia vera, nihilominus aliquando Deus ista immisit: sicut legitimus de infortunio Tobi, & aduersitatibus Iob. Cursum enim natura frequenter Deus impedit, iudicio suo occulto, & caufis, quas ipse novit, & tunc tribuit aduersa vel prospera, sicut placet, secundum suam prouidentiam: nec est inconveniens, quod tunc ministri sint Angelib[us] nisi malis; secundum quod Boetius 4. de consol. dicit, quod famulantes spiritibus seu Angelica virtute, seu da monum varia solertia impletur Dei prouidentia, & fatum exercetur. Sed ea quæ dicta sunt, intelligi oportet, ubi Deus relinquit hominem natura & industrie sua. Non est enim inconveniens, immo omnino expertum, quod aliqui ex naturalibus suis diriguntur in prospera, propter huiusmodi conjecturales virtutes.* Ita Aureolus. Atque ad similem etiam modum de veris somnijs eorumque causis iudicandum est, reiecta erronea his de rebus Auerrois sententia lib. 12. metaph. comment. 36. qui causas rerum istarum in suum illum intellectum agentem & assistentem refert. Atque hæc de diuina prouidentia in genere sat: nunc prædestinationem præcipuum quandam eius partem, eadem diuina prouidentia faciliter aspirante ac fauente agrediamur.